RELATIO
FACTA IN CONSISTORIO
Secreto coram S. D. N.
VRBANO PAPA VIII.
A IOANNE BAPTISTA
EPISCOPO PORTVENSI
S. R. E. CARD. DETO
DIE MARTII M. DC. XXIX.

SVPER VITA, SANCTITATE, actis Canonizationis, & miraculis

B. ANDREÆ CORSINI
CARMELITANI,
ET EPISCOPI FESVLANI.

ROMÆ,
Ex Typographia Hæredis Bartholomæi Zannetti.
M. DC. XXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Digitized by Google

BEATISSIME PATER.

FLOREM ſanctitatis eximium offero Sanctitati Veſtræ, è patrio Florentiæ ſolo, natum ſub Virginis ſidere, virginea manu inſertum in lilia, educatum in Carmeli vertice, tranſlatum inter cœleſtes deliciarum hortos: Feſularũ Antiſtitem loquor, Andream Corſinum, magnum Dei Genitricis alumnum. Nam concepto B. Virgini voto impetratus eſt à ſterilibus diu parentibus, & eidem oblatus ante quàm natus. illa adoleſcentem ex lupo in ſomnis oſtenſo mutauit in agnum, atque in familia ſuo adiecta nomini manſuefecit. illa religioſi direxit vitam. illa Epiſcopatus capeſſendi authorem, & adminiſtrandi patronam ſe præbuit. illa demum & mortis deſignauit diem, & cœleſtis gloriæ pollicita eſt immortalitatem. Vt profectò non dubitem, quin iſta Sanctitati Veſtræ diuinitus iniecta mens de eius honoribus amplius cogitandi, beneficium ſit eiuſdem Virginis, quæ cœleſtem alumni ſui gloriam hoc quoque in terris cultu cumulare velit, tua præſertim opera, decretoque, Beatiſſime Pater; cuius in tempora ſeruatus mihi videtur beatus Antiſtes, vt ſe ſimul honores ſanctitati debitos à tanto Pontifice conciui ſuo caperet, ſimul cœleſte patrocinium æquo Sanctitatis arbitro, ac pio in patriam ciui, gratè abundeque rependeret.

Id autem vt ritè atque ordine iuxta ſacros Canones peragatur, adſum iuſſu Sanctitatis Veſtræ, de Cauſa legitimè iam inſtructa, in hoc ampliſſimo Senatu quambreuiſſimè diſſerturus. Quod faciam, ſi beati Viri primum quidem vitam obitumque, dein verò virtutes, tum

 mira-

miracula, poſtremò autem cauſæ ſtatùm explicuero.

ANDREAS Corſinus, Florentiæ in opulenta nobiliq. domo natus eſt, ea nocte, quæ feſtum diem S. Andreæ, ex quo nomen traxit, antecedit, anno ſalutis milleſimo trecenteſimo primo, claris pietate, ac generis ſplẽdore parentibus, Nicolao Corſino, ac Peregrina eius vxore: qui aliquandiu ſteriles, cùm in Cathedrali tẽplo concionatorem audirent ea Exodi verba ex occaſione repetentem: *Decimas, & primitias tuas non tardabis reddere*; ſibi dictum arbitrati ſunt: perinde quaſi diuinitus admonerentur, vt quam prolem primò ederent, eam Deo dedicarent. Itaque illo inuitatu animati, vterque ſeorſim, nec alter alterius conſcius, apud ſe ſtatuunt, naſciturũ ex ſe fructum, Deo, eiusq. matri Virgini offerre. eamdemq. non poſt multo, ſponſionem in templo Carmelitarum ante imaginem Deiparæ, cui à Populo nomen, voto nuncupato, ritè obligant. Deinde communicato inter ſe conſilio, animaduertunt idem propoſitum, idemque votum eodem tempore ab vtroque conceptum eſſe. Nec multi tranſiere dies, cùm Peregrina ſentiens vtero ſe ferre, factam ſe voti compotem, actis Dei Genitrici gratijs, animaduertit. Quin etiam paulò ante partum, per quietem ſibi eſt viſa lupum parere, qui tamen templum ingrediens, repentè mutaretur in agnum. Nec euentu caruit ſomnium: nam puer primos ætatis annos nullo parentum, nec Dei timore coercitus, adeo pronus in vitia tranſigebat, vt mater verè ſe lupum non hominem peperiſſe, Andrea audiente, quereretur. Cuius ille ſomnij narratione præter opinionem commotus, ac diuino inſtinctu incitatus, ad Carmelitarũ templum accurrit; ac Dei Matrem, ante cuius effigiem parentes conceperant votum, ſupplex orat, vt quando iam ſatis lupum

egerat,

:rat, impetret ipſa ab eo, quem agnum immaculatum
ererat, vt mutatus in alium virum, agnus manſuetus
:ius Religione mactetur. Vigebat eo maximè tempore
rmelitarum familia, pro veteri inſtituto, honoribus
atæ Virginis in primis addicta: ideoq. in ſacrum hunc
dinem, cui ſe deuotum à parentibus intellexerat, ad-
bi poſtulauit, obtinuitque non minori parentum gau-
, quàm admiratione omnium.

Religionem ingreſſus totum ſe afflictationi corporis,
rerumq. humanarum contemptui, aſſiduis precibus,
utibus omnibus dedicauit: tantùmq. præferuidus ty-
profecit, vt iam veteranis ipſis, in virtutum ſtudio ad-
ationi, atque exemplo eſſet. Exacto tyrocinio, emiſ-
. votorum profeſſione, quaſi tunc inciperet, mirum
fecto, quot quamque ſolidis virtutum incrementis,
ım quam ad eum diem egerat, cumulauit. Cùmq. ſa-
ordinibus ex Superiorum imperio initiandus, audiſſet
enti pompa, atque apparatu eas Sacerdotij primitias
rentibus celebrandas; impetrata facultate in cœno-
n ſeceſsit, ſeptem milliaribus ab vrbe diſtans, quod à
is nomen habet: in eaq. ſolitudine primum Deo ſa-
ïcium obtulit, incredibili cœleſtium oblectationũ dul-
ine recreatus. cumulauitq. gaudium ipſa cœli Impe-
ix, quæ magno beatorum ſpirituum cœtu comitata,
ificanti videndam ſe clementiſsimè dedit, his eum
terea verbis allocuta: Seruus meus es tu, quia elegi
: in te gloriabor. Quos ille aliosq. cõſimiles fauores,
ous ſæpenumero recreabatur, ad ſui humilitatem pro-
ımq. transferebat. Miſſus deinde ſtudiorum cauſa
:tiam Pariſiorum, triennio diuinis litteris operam de-
vnde reuocatus, ac Florentino cœnobio præfectus,
ıs illud magna ſanè prudentia, & charitate admini-

 ſtrauit.

Digitized by Google

ſtrauit. Et cùm annos iam tres & quadraginta Carmelitano in Ordine ſumma ſanctimoniæ laude, & miraculorũ fama vixiſſet,mortuo Feſulanæ Ciuitatis Antiſtite,ab eius Eccleſiæ Canonicis de ſucceſſore conſultantibus, vnanimi conſenſu Andreas Corſinus deſignatur Epiſcopus. Quod vbi reſciuit Andreas, illico in Carthuſianorum Monaſterium tertio ab vrbe milliario, clam ſe proripuit,certus tãdiù ibi latere,dum ea deliberatio euaneſceret. Et res ſuccedebat ex ſententia,nam Clerus quærendo fatigatus,de alio deſtinando conſultabat; cùm puerulus,qui fortè aderat, diuina vi actus,in medium proſilit,atque exclamans: Elegit, inquit, Deus Andream Sacerdotem ſibi. ecce latet in Carthuſianorum cęnobio. ite,& orantem inuenietis. Quo Dei ſuffragio firmata prima deſignatione, illuc Clerus & Populus contendunt, atque Andream reperiunt cęleſti monitu animatum, vt Epiſcopatum, cui ſe auxiliatricem B.Virgo pollicita erat, admitteret.

Suſcepto Epiſcopatu creuere cum honoris faſtigio virtutes. Nihil illo apud ſe humilius, nihil erga egenos liberalius, nihil in Dei cultu intentius, nihil in paſtorali adminiſtratione vigilantius. Quas inter virtutes, valuit in primis,vt erat inſigni erga proximos charitate,in componendis diſſidijs,ſedandis controuerſijs,ac redintegrandis amicitijs, admirabili gratia, nõ tam humana prudentia,ac dexteritate,quàm hauſta è cęlo ſapientia,atque artificio temperata. Dicebat ad Populum, quadam die, in Feſulano foro, aderantq. Florentini complures, quorum diſſidia per id tempus percrebuerant: cùmque propterea in ciuiles diſcordias multis inueheretur, diuino ſpiritu inflammatus: Surgite,inquit, Auditores; leuate capita veſtra, & videte vnde ciuium diſcordiæ naſcantur. ac ſurgentes aſpexere multa Miluorum, Coruorumq. atrociter

inter

er ſe ſe præliantium agmina, ſuper vrbem Florentinam ngè lateq. diffuſa. Qua ſpecie permoti Florentini ciues, ıi pars magna factionis erant, cùm ſatis intelligerent, ilſ eſſe malos dæmones, odiorum & controuerſiarum inntores; abiectis inimicitiarum cauſis, firmam inter ſe acem iniere. Huius rei, aliarumq. ſimilium fama mouit rbanum Quintum Pont. Max. vt Andream Bononiam egatum mitteret, ad tumultum in ea vrbe componenlum, quo iam pridem in partes diſtracti armatiq. ciues, ıullius opera pacari potuerant. At verò Andreas diuina ope fretus, ita diſſidentium animos tractauit, vt breui reconciliata cum Populo Nobilitate, odiorum ac tumultuū faces extinxerit: præſertim cùm nonnulli, qui alijs ferociores obſtinatioresq. perſtiterant, grauibus ac repentinis morbis primum oppreſſi, mox eiuſdem Beati Epiſcopi precibus ſanitati reſtituti, in concordiam cum ceteris libentiſſimè conſpiraſſent.

IAM VERO ſi in ſingulas eius Viri virtutes quis intueatur, animaduertet ex earum complexione, illum meritò Sanctum, & habitum, & appellatum eſſe: & cùm illæ virtutes prorſus admirabiles, atque excellentes fuerint, mirabilem Deum in Sancto ſuo dici potuiſſe.

Nam inſignem Andreæ Fidem ſatis oſtendunt, præter eius ortum à Deo precibus impetratum, ſubitæ vitæ ex lupo in agnū mutatio: in religioſum Ordinem, relictis omnibus, ingreſſio: ſacrorū omnium, ac præſertim ſacroſancti Altaris ſacrificij, reuerentia: & complurium miraculorum patratio, quæ excellenti Fidei meritò attribuuntur.

Nec minorem Spem declarant tum hæc ipſa quæ dixi, tum ſingularis quædam rerum arduarū, quas ille Dei fretus auxilio aggrediebatur, deſperantibus interdum alijs, animoſa ſuſceptio. quam excellentem Viri virtutem etiā

Digitized by Google

miraculis comprobauit Deus. Vt,cùm in magna annonæ caritate panes ſuis manibus in pauperes quotidie diſtraheret; accidit ſemel,vt creſcente egenorum numero,nec ſufficientibus panibus, cuſtos arcæ miſſus à B. Andrea, vt quod reliquum eſſet afferret, negauerit, quicquam ſupereſſe præter paucos illius prandio reſeruatos panes. Tunc vir Dei iubet hominem bono eſſe animo, & arcam iterum ſcrutari. quod ille cùm feciſſet, reperit arcam recentibus, & quidem calidis, plenam panibus: quos ſubito allatos, in pauperes, actis Deo gratijs, diſpenſauit.

At verò quæ inter alia primas obtinet Charitas, præcipua quoque in illo fuit. Dei enim amore ardentiſsimè flagrans,cõtemplandi ſtudio mirificè fruebatur: in eamq. curam ab ipſo tyrocinij tempore vſque adeò incubuit, vt non raró à ſenſibus abſtraheretur: Non ſemel aut iterum, ſed ſæpius,dum ianuam cęnobij,Fratribus comedentibus, cuſtodiret, repertus eſt preces fundere ante ſacram imaginem, quæ ianuæ imminet; adeo à ſe ſe abalienatus, vt quamuis per eam ipſam portam Fratres è clauſtro in templum pertranſirent, ſacros hymnos (vti prandio, ac cęna aſſolent) concinentes; eos nec videret,nec audiret. Hinc in proximos charitas emanabat, qua aliorum ſaluti, tum animarum, tum corporum, aſsiduè ſtudebat. Poſtquam Epiſcopus creatus eſt, ad ſubleuandam egenorum miſeriam, imitatione Gregorij Magni, libellum ſibi confecit, pauperum nominibus deſcriptum; quibus aut clam,ſi nobiles eſſent, ac verecundia retardarentur, aut palam, manu plerumque ſua ſubueniebat. ac certo affirmatur, Nullum aliquando pauperem ad B. Andream acceſsiſſe, qui ab eo ſubſidij aliquid non acceperit. Id verò tunc agebat impenſiùs,quando periclitari animos cernebat. Laborabat Ioannes Corſinus, eius conſanguineus, lupæ morbo,

ex

Digitized by Google

ex quo tibiarum caro miſerè corrodebatur; ideoque ad dolores, quibus cruciabatur, vtcunque fallendos, domum ſuam tanquam luſoriam tabernam aperuerat. Motus B. Andreas non tam conſanguinei morbo, quàm eius, & aliorum, qui permulti eò confluebant, ſalutis animæ iactura; promiſit homini ob B. Virginis merita ſanitatem, ſi ſeptem diebus à ludo abſtineret, totidem ad Deum Deiq. Matrem preces aliquot funderet, ac ſeptem ieiunaret. Paruit ille, ac ſeptimo die liber à morte repente conualuit, ductuſque à B. Andrea ante imaginem Dei Matris: poſt preces, ſolutis tibiarum faſcijs, caro, quæ prius ad os vſque corroſa erat, integra & munda, tanquam caro pueri reperta eſt.

Sed quàm clemens in alios, tam in ſe aſper, ac rigidus fuit. Cilicium, ac ferream catenam nudo corpori adſtricta ſemper ad mortē vſque geſtauit: quater ſingulis hebdomadis pane & aqua contentus ieiunabat: ſarmentis pro lecto dormiens incumbebat: quotidie poſt celebratum altaris ſacrificium, flagris ſe ſe ad cruorem vſque verberabat. quæ, licèt eſſet, & ætate iam grauis & infirma valetudine, à carne tamen, alijsq. delicatioribus cibis abſtinens, perpetuò ſeruauit.

Quid de eius Caſtimonia dicam, ieiuniorum, & afflictationum comite? cui vſque adeò addictus fuit, vt ne matris quidem, ac ſororum alloquia ſine rubore ſuſtineret: aliarum verò mulierum aſpectus reijceret prorſus; aut ſi neceſsitas vrgeret, nonniſi defixis in terram oculis eas alloqueretur: ob quam ſeueram oculorum, ſenſuumq. omnium cuſtodiam, dum Pariſijs ageret, Fratrem cęcū, ſurdum, mutumq. appellare conſueuerant. Et licèt adoleſcens, ante Religionis ingreſſum, liberis diſſolutisq. moribus fuiſſet; peculiari tamen Dei beneficio illibatam ſer-

uauit-

uauit ad mortem vſque pudicitiam. Quod ipſemet, Canonico familiari commenſaliq. ſuo, poſt obitum apparens candidis indutus veſtibus, lilia, ac roſas manibus præferens, teſtatus eſt: addens illa virginitatis ſuæ argumenta eſſe, ideòq. ſe vnà cum virginibus Agnum ſequi.

Omitto paupertatis ſtudium, humilitatis exercitationem, honorum fugam, rerum humanarum contemptum admirabilem, ac ceteras virtutes, quibus ille perpetuo floruit: ne Sanctitatem Veſtram orationis prolixitate fatigem. Ideòq. de multis etiam, quæ prophetico ſpiritu ille prædixit, vnum hìc afferre contentus ero.

Rogatus ab amico, vt filium eius baptiſmo luſtraret, inter baptizandum flere cœpit. interrogatus cauſam: Quia, inquit, hic infans, niſi aut morte præmatura præueniatur, aut ſe in Religioſum Ordinem includat, ſibi totiq. familiæ exitio futurus eſt. Dictum probauit euentus: nam rebellionis cauſa, & ipſe vltimo ſupplicio affectus, & eius conſanguinei honoribus, ac Reipublicæ muneribus exuti ſunt.

HAEC, quæ hactenus dicta, ſatis etiam pro ea parte videri poſſent, in qua de miraculis in vita patratis exponi ſolent. Sed quia illis abundamus, pauca relictis plurimis, ſuperaddam.

Redeunti B. Andreæ è Pariſienſi Academia viſum eſt Auenione iter facere, vt patruum inuiſeret Petrum Corſinum, poſtea S. R. E. Cardinalem; à quo per vrbis templa deductus, à cęco, qui ad ianuam ſtabat templi B. Mariæ de Donis, eleemoſynam rogatur: tunc B. Andreas templum ingreſſus, vnius horæ ſpatio ſe in preces dedit; indeq. exiens, ac luſtrali aqua cęci oculos aſpergẽs, Deus (inquit) Dominus noſter IESVS Chriſtus, qui cęcum à natiuitate illuminauit, ac cęco lumen reddidit in

via,

Digitized by Google

via, tibi quoque lumen ſua virtute potentiaq. reſtituat. ſtatimque, Patruo ac ceteris admirantibus, cęcus vidit.

Febri hectica laborans nobilis cuiuſdam Florentini filia, atque à medicis, nihil iuuantibus medicamentis, derelicta, vnicam ſibi ſpem ſalutis ſupereſſe aiebat in Dei, Deiq. Matris, & B. Andreæ auxilio, ſi præſertim ab huius manibus miniſtratũ cibum acciperet. Accerſitus B. Andreas panem in vinum intingit, Deum precatus, vt qui corpus ſuum ſpecie panis, ac vini in cibum, ac potum ſuis fidelibus tradiderat, panem illum cum vino miſtum ſanctificaret ad ſanitatem animæ corporiſque. tunc puellæ panem porrigit: acceptoque, cùm paululum illa quieuiſſet, experrecta omni ſe morbo liberam ſenſit: ac ſubito ad templum progreſſa, gratias Deo tunc quidem reddidit, poſtmodum autem eiuſdem Beati viri ſuaſu, monialis effecta eſt.

Dum pedes pauperum lauaret (quod illi ſingulis hebdomadis, feria quinta, ſolemne erat) vnus ex ijs, quia ſanie, atque vlceribus putrefacta habebat crura, recuſabat ab Epiſcopo lauari. cui tunc ille: Confide, inquit, de Dei potentia, ac miſeratione, quoniam ipſe ſanabit omnes infirmitates tuas. quo dicto, aqua, & lacrymis pedes lauit, terſit, oſculatus eſt, ac ſanitati protinus reſtituit.

His alijsq. quamplurimis clarus miraculis, in Natalis Domini nocte inter ſacrificandum admonitus à B. Virgine, diem Epiphaniæ illi fore ſupremum inter mortales, primum inter cęlites, eo die, anno ſalutis milleſimo treceteſimo ſeptuageſimo tertio, ætatis ſeptuageſimo ſecundo, Epiſcopatus duodecimo, migrauit in cęlum, magnæ ſuauitatis odore ſpirante è defuncti corpore: ad cuius contactum venerationemque Populo certatim accurrente, & multi tunc è varijs morbis mirabiliter exempti ſunt.

Digitized by Google

ſunt, & in eiuſdem corporis tranſlatione ab Eccleſia Feſulana Florentiam, huiuſmodi beneficia compluribus diuinitus collata, & plurima deinceps ad eius inuocationem miracula Deus edidit: ex quibus nonnulla hìc recenſere neceſſe habeo.

Iunipera Riccij Florentina, contracto à partu graui morbo, mox & ad inſaniam redacta, adhibitis fruſtra medicamentis; tandem admotis B. Andreæ reliquijs, priſtinæ corporis ſanitati reſtituta, & (quod rarò contingit) compos mentis effecta eſt.

Bonauentura Caſſandræ filius, duorum annorum, cùm dies ſeptendecim in cunis æger iacuiſſet, atque omni cibo, ac potu abſtinens pro mortuo haberetur à medico; admota ad pueri pectus B. Epiſcopi catena, & eiuſdem annulo in pueri digitum inſerto, ſtatim cibum petijt, veſtes induit, domo egreſſus cum pueris colluſit.

Triginta annos lepra coopertas manus habuerat Angelicà de Caſtro ex Romandiola: ac fruſtra ope medicamentorum adhibita, ad B. Andreæ auxilium confugit; ac votiuas ad eius ſepulchrum manus pollicita, ſubitò mundari cępta eſt, atque intra octiduum ne veſtigium quidem lepræ manibus apparuit.

Eliſabetha Petri de Cauarella, Florentina, febri aſſidua, & comitiali morbo miſerè vexata ſpatio triginta menſium, deſtituta ob paupertatem, medicorum, ac medicamentorum ſubſidio, præſentiorem medicinam reperit in B. Antiſtis ope: cuius catenam ſumma fiducia, ac religione contingens, ex vtroque morbo repente cõualuit.

Ad terram cùm cecidiſſet, fregiſſetq. ſiniſtrũ brachium Flãmetta Iacobi, nihil proficientibus artis humanæ remedijs, ad B. Andreã confugit: atque in templo Carmelitarũ, impoſito ſuper eius altari brachio, ſanitatẽ recuperauit.

In

Digitized by Google

In eodẽ templo, dum in die Aſcenſionis corpus B. Andreæ oſtenderetur, Catharina vxor Iulij de Garbo Florentina, auditu omninò capta, coronam B. Virginis porrexit, vt Beati corpus tangeret: eamq; cùm recepiſſet, ac magna ſpe deoſculata eſſet, admoto ad aurem vno eius grano, ſtatim perfectèq. audire cœpit.

Betta Chriſtophori filia, Pratenſis, cum diù ſiniſtri brachij, ac ſiniſtræ auris, partisque capitis vſu caruiſſet; dum concioni de B. Andreæ laudibus intereſt, eique ſe magna ſpe commendat, ac cereum caput ad eiuſdem tumulum vouet, poſt breuem quietem expergefacta, illicò tam brachio, quàm aure & capite ſanata eſt.

Bellũ Eccleſiæ,& Florentinis inferente Mediolani Duce, cùm iam ceptis, aut deuaſtatis oppidis multis, de ipſa vrbe Florentia, vbi Pontifex Eugenius Quartus,& Cardinales cõplures erant,dubitaretur,ideòq. ad Deum preces, & ad B. Corſinum multis tunc miraculis clarũ funderentur; adoleſcenti ad B. Epiſcopi corpus oranti ipſe apparuit, eumq. monuit: Iret ad Decemuiros belli præfectos, ac Dei nomine animaret ad pugnã: futurum enim,vt feſto die,qui inſtabat SS. Petri, ac Pauli, victoriam ex hoſte reportarent. Paruit adoleſcens, credidit magiſtratus: commiſſa eſt pugna, victoria longè maxima relata eſt. Ferũt, à multis in aere viſum B. Antiſtitem albo inſidentẽ equo, imperatorio baculo præ ſe agentem armatas acies, atque in hoſtem,vbi opus erat, immittentem. Hoc verò beneficium meritis B. Andreæ à Deo conceſſum Pontifex ipſe Eugenius agnouit: qui propterea rogatus à Cardinalibus, ac Florentina ciuitate,ſupplicationem quotannis ad illius corpus,& circa illud lumina,& huiuſmodi venerationis ſigna,quæ Beatis, ac Sanctis exhiberi ſolent, liberaliter indulſit. Et ante ſupplicationem quidem illius anni, cùm

primùm

primùm Beati corpus oſtenſum eſt,præſentibus Cardinalibus,Populi Magiſtratibus,Clero vniuerſo,atque infinita hominũ multitudine,tantus pietatis ſenſus omnium corda peruaſit,vt vna omnes voce cõclamarint, Sancte Andrea ora pro nobis. Magnum profectò documentum indubitatæ apud eorum animos ſanctimoniæ. Itaque Sanctitas Veſtra, & Prædeceſſoris ſui, & ſui Populi teſtimonio,ante annos propè ducentos prolato, habet vnde ad B. Præſulẽ ritè referendum in Sanctorum numerum animari poſſit.

ET SANE (vt quod vltimo loco propoſui,aliquando conficiam) mirum eſt Beatiſſime Pater, quanta omnium veneratione,ab ipſo ſtatim obitu,Beati viri ſepulchrũ frequentatum,reliquiæ cultæ, nomen imploratum ſit. Certè poſt illud, quod poſtremo adieci miraculum, cùm Cardinales,qui Florentiæ aderant,viderent Nobilium,Plebisq. ſtudia in Beati Antiſtitis cultu piè concertantium,ſimulq. conſenſum Pontificis Eugenij,Populorum votis,ac precibus perbenignè annuentis; non dubitarunt affirmare,honores illos ſpeciem habere Canonizationis, ac ſuo quidẽ iudicio Andream Corſinum eo die relatũ inter Cœlites, videri poſſe. Sed Florentinus Populus non contentus ijs honoribus,quos ab Eugenio magnos licet, atque annuos impetrauerat, à Paulo Secundo, vt illum in Sanctorũ numerum adſcribere dignaretur,enixè poſtulauit. Nec Paulus abnuebat, negotiumq. Rothomagenſi,Theanenſi, ac Papienſi Cardinalibus dedit. Sed temporum,ac perſonarum mutatione, vſque ad Clementem Octauum perducta res eſt; cùm is Pontifex Chriſtianiſſimorum Franciæ Regum, & Ferdinandi Etruriæ Magni Ducis, & venerabilis Carmelitarum Ordinis,& nobilis Corſinæ Familiæ precibus permotus, per Apoſtolicas literas, Dominis ſacrorum Rituum Cardinalibus mandauit, vt Proceſſum informati-

uum authoritate ordinaria iam compoſitum,continentem centum octuaginta & vnum teſtes,expēderent, referrentque. Expenderunt illi, retuleruntq. Pontifici, cauſam eo in ſtatu eſſe, vt ſacræ Rotæ Auditoribus committi poſſet.

Igitur petentibus, quos dixi, Principibus, ac Generali Carmelitanæ Familiæ cum Ordine vniuerſo, necnon Bartholomæo Corſino, Florentino Senatore,tam ſuo, quàm totius Corſinæ gentis nomine; demandata eſt ab eodem Pontifice cognitio cauſæ tribus ſacræ Rotæ Auditoribus, Franciſco Peniæ Decano, Io. Garſiæ Millino, & Alexandro Iuſto.

At Clemente è viuis ſublato,Paulus Quintus,repetitis eorundem Procerum, aliorumq. precibus annuens,ijſdem Rotæ Auditoribus cauſam ritè cognoſcendā confirmauit. Quam illi cauſam nouo ſtudio cōplexi, literas remiſſoriales,ac compulſoriales relaxarunt,direxeruntq. Alexandro Martio Medices Archiepiſcopo Florentino,Lucæ Alemāno Volaterano,& Bartholomæo Lāfredino Feſulano Epiſcopis. à quibus omni adhibita cura,vti iniūgebatur,examinatis centum & quatuordecim teſtibus, extractiſq. iuribus,& antiquis monumentis,formatus legitimè Proceſſus ſuper vita,ſanctitate,ac miraculis Beati Antiſtitis, Romam ad eoſdem Rotæ Auditores tranſmiſſus eſt. Verùm ex ijs Auditoribus vno abſente,duobus vita functis,aſſumptoq. ad Cardinalatus gradū,qui ſubrogatus fuerat, Horatio Lancellotto; ſubſtituti demum ſunt huius cauſæ Iudices ex eadem Romana Rota, Franciſcus Sacratus,Ioannes Baptiſta Coccinus, & Alphonſus Manzanedus. qui ſæpè conuenientes, ad extremum & Proceſſum ritè fabricatum declararunt, & expenſis ſingillatim omnibus, conſtare de ſanctitate,& excellentia vitæ,atque miraculis cenſuerunt; cenſuramq. ſuam eidem Pontifici retulerunt.

HIC

Digitized by Google

HIC ERAT cauſæ ſtatus, Beatiſſ. Pater, cùm Paulo Quinto, eiusq; Succeſſore Gregorio Quintodecimo morte ſublatis, Dei beneficio factum eſt, vt Sanctitas Veſtra meritorum ſuffragio, ad ſupremũ iſtud Sacerdotij culmen eueheretur. Tunc inſtare denuò cœpere, præter laudatos iam Proceres, Octauius Archiepiſcopus Tarſenſis, ac Philippus eius frater, & Nerij fratris iam defuncti filij, ex illuſtri Corſinorũ Familia, necnon & Fr. Gregorius Canalius Venetus, Carmelitani Ordinis Generalis, vt Sanctitas Veſtra cauſæ iam toties agitatæ, atque ad exitum propemodum adductæ ſupremam manũ imponere, pro ea qua poteſt polletq. authoritate, dignaretur. Placuit Sanctitati Veſtræ tam ęquis iteratisq. multorũ precibus aſſentiri, factamq. Paulo Quinto relationem noſtræ ſacrorũ Rituum Congregationi diſcutiendam benignè tranſmittere.

Nos verò, Beatiſſime Pater, illam pluribus ſeſſionibus accuratè diſcuſſimus; ac tandem vnanimi voto conſenſuq. cenſuimus, omnia in Proceſſu Florentiæ fabricato fuiſſe valida, teſtes ritè ac rectè examinatos, probationes, quæ illo Proceſſu continentur ſuper ſanctitate, excellentia fidei, ac præclaris miraculis ſerui Dei Andreæ Corſini, legitimas, ac ſufficientes.

HAEC ſunt Beatiſſime Pater, quæ ex legitimis actis huius cauſæ dicenda fuerunt de vita, & virtutibus Beati Andreæ Corſini, dequè miraculis illius beneficio patratis. Quibus copioſiùs in multis Congregationibus perpenſis, atque diſcuſſis, Cardinales Congregationis ſacrorum Rituum in eam ſententiam vnanimes venerunt: Poſſe Sanctitatem Veſtram (ſi ei placuerit) ad vlteriora procedere, & Canonizationem Beati Andreæ Corſini, iuxta ſacros Romanæ Eccleſiæ Canones perficere, & ſolemni ritu celebrare.

Digitized by Google